



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vt is qui ex voragine peccatorum vocatur ad monasticum institutum,
debeat suam auspicari vitam. Epist. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Vt is qui ex voragine peccatorum, præcipuo Dei munere vocatur ad monasticum institutum, debeat suam aspicari vitam.

Epistola VII.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIUS, CARTHVS.
filio suo spiritali Arnolde, in Christi militia nouo tyroni, salutem.

Fili mi prædilecte, incipis iam Christo viuere, qui hucusque diabolo pessimo tuo inimico seruiebas. Persequetur te hostis ille versutus technis varijs, olim captiuam sibi reducerenitetur animam. Contra quas omnes insidias eius generale propugnaculum sit, confugiũ & oratio ad Deum. Ora igitur humilis, vt peccator & emendare se cupiens, vt placere desiderans, vt diligere & obedire gestiens: ac varijs nunc gemitibus, nunc aspirationibus clama ad Deum: veniam sumendo ad te dicit:

Remedium generale contra diaboli insidias quod sit.

Precatio peccatoris cum Deo in gratiam redire cupientis.

Adoro te creator omnipotens, amabilissime, benignissime, clementissime, dulcissime, fidelissime, mitissime, misericordissime Domine Deus meus. Adoro te, vt nefandus, miser atque miserabilis peccator creatorem suum, quem offendit. Pijsime, suauissime Domine, amabilissime pater quoties offendi te, meam & alias innumeras animas tibi abstrahendo & occidendo. O Iesu bone, da mihi iugem, veram, humillimam & tibi gratissimam pro peccatis meis contritionem & emendationem vitæ meæ, imitationem vitæ tuæ secundum beneplacitum tuum dulcis Domine Iesu Christe. Libera me & custodi ab omni peccato & ab omni malo. Cupio tibi placere Domine Deus meus: doce & dirige me in omne beneplacitum tuum. Equæ me ab omnibus quæ tibi displicent, & reple me omnibus, quæ tibi placent: maxime ardentissima atque perpetua charitate, qua te in omnibus & super omnia ex toto corde meo diligam, & omnem proximum sicut dedeo, & sicuti tu vis: tibi autem inseparabiliter & semper totus inhæream. Da mihi purissimam atque abyssalem meipsum abnegationem. Largire mihi deuotissimam, fidelissimam, purissimam, obedientissimam atque discretissimam strenuitatem in seruitio tuo, vt mei contemptum & tuam gloriam & honorem semper ficiam, & omne beneplacitum tuum semper perficiam. O vtinam omnes vires animæ & corporis, o vtinam omne tempus vitæ meæ, o vtinam totum quod sum & possum, in laudem & amorem & in beneplacitum tuum expendam benedicte Domine Deus meus.

Oblatio meritorum Christi.

Benignissime Iesu, nihil habeo quod offeram tibi pro peccatis meis, aut quo gratias agam tibi pro beneficijs tuis, nisi merita & virtutes sanctissime vitæ ac passionis tuæ. Hæc offero tibi in vnione illius charitatis, qua temetipsum obtulisti in cruce: in cuius oblationis vnione meipsum totum tibi offero, & atque resigno in omne beneplacitum tuum, ad gloriam tuam. Dulcis Iesu, da mihi perfectissimam veram atque totalem resignationem.

nem & abnegationem me ipsius, vt totus me ipsum exeam, & totum me in te proiciam, omnia de manu tua accipiens, & cum gratiarum actione te semper laudans ac benedicens in aeternum.

Precatio ad Beatam Virginem Mariam.

*Comendatio
sui & obse-
cratio ad
Virginem
Matrem.*

SPes mea vnica post Deum beata virgo Maria mater dulcissima atque gloriosissima, offero tibi, commendo & resigno me ad pedes tuos. Suscipe me in filium. Esto mihi pia mater. Impetra mihi, vt vitam tuam & eas virtutes, quibus tu filio tuo placuisti, pro modulo aliquo (quantum Deo placuerit) imitari merear. Adesto mihi in omni tentatione. Custodi & dirige me, vt in omni bono & in omni virtute semper proficiam, & in Dei atque tuo seruitio pariter ac amore nunquam deficiam.

Precatinacula ad Angelum custodem.

Sperne ciuis, angelice spiritus, qui ad custodiam fragilis vitæ meæ deputatus es, gratias tibi ago de fideli custodia, qua me ab infantia custodire dignatus es. Tu es enim amantissimus atque dulcissimus Dominus meus, & meum est omni hora te prosequi, & amplecti tuam dulcissimam sanctitatem. O candidum & immarcescibile liliū cælestis paradisi, fidus rutilans superioris firmamenti, viua coronæ cælestis regis gemma. Mi Domine indulge mihi, quicquid vnquam in conspectu tuo deliqui, & veniam mihi peccatorum posse à Domino. Insidiantes mihi hostes reprime, in periculo animæ & corporis mihi assiste, orationes meas adiuua, vt sint acceptabiles in conspectu Domini, & omnem vitam meam Deo meo commenda & impetra mihi à Domino, vt felix & rationabilis & modestus fiat exitus meus, & suscipe animam meam, & presenta eam in vitam aeternam. Amen.

Tyro in ordine Carthusiano quinam sese in solitudine cella per dies singulos iuxta externum & internum gerere debeat hominem.

Epistola VIII.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIVS, CARTHVS.
suo charissimo spirituali filio scriptori perpetuam felicitatem.

FILI charissime, votis tuis morem gerere, & tibi necessarium & mihi apprimè est desideratum. Expetis enim legem à me tibi præscribendam hoc temporis curriculo, quo in cella vitam agens communibus monasterij vtilitatibus scribendo inseruias, vsque dum eam nobiscum amplectaris legem, qua monachus & dicaris & sis Carthusianus. Trutinatis igitur omnibus, quæ vel ob aratis tuæ teneritudinem, vel ob naturalium conditionem pensanda sunt, hic modus tibi seruandus est.

*Quod pri-
mum magis
expergilio
exercitii
eius debet.*

Principio, vt te diluculo surgente, corporis tui mēbris, sensibus, studijs, & affectibus quod primum occurrat exercitium, sit, te totum & omnia ad Deum conuertere. Primum quod ex ore tuo egreditur verbum, primum quod cogitas, quod desideras, quod agis, sic Deus, aut huiusmodi aliquid, quod in Dei beneplacitum referatur. Nihil cor tuum præueniat, nihil linguam tuam

occu-